

De *Diodoro* verò narrat, quod nullum verbum ambiguum esse dixerit propterea, quòd verbum neque respectu dicentis neque respectu audientis ambiguum sit: Non respectu dicentis; cum nemo qui dicit, duo vel plura, (id quod tamen verbi ambigui natura requirat) dicat aut sentiat: Nec respectu audientis; cum audienti nihil dici videri debeat, quam quod se dicere, sentit is, qui dicit.

XVIII. Verùm licet *Chrysippo* ambabus quod dicitur, manibus largiamur, quod quodvis nomen aut verbum ex instituto hominum à quò significationem suam accipit, pluribus rebus significandis imponi possit; attamen cum non de eò, quid fieri possit; sed de eo, quod factum, quæstio instituat, atque hominum placito introductum sit ut vocabula certum quid valeant, certisque quibusdam rebus determinandis certa quædam nomina sint indita, nihil ille concludit.

XIX. *Diodoro* quoque licet & ipsi condonemus, quod in conceptibus nulla sit ambiguitas, vocem tamen omnem eadem carere non concedimus. Et ipse *Diodorus* hoc non negare videtur, dum, ap. *Gell.* ait: *quum ego aliud sensi, tu aliud accepisti: obscure magis dictum: quam ambiguum videri potest.* Quod autem dicit ambigui verbi naturam in eo consistere, ut qui dicit, duo vel plura dicat, hoc est, quod inficias imus. Ambiguitas enim in ipso vocabulo multa significante est, non verò pro dicentis aut accipientis arbitriò fit.

XX. Hisce hætenus præmissis, Homonymorum sive æquivocorum DEFINITIONEM, quam *Aristoteles lib. 1. Categ. c. 1.* habet subjungimus eandem secundum singula verba explicaturi, ita quidem, ut, licet eã *Æquivoca æquivocata tantum describantur*, etiam *Æquivoca æquivocantia* quid sint unã operã facile constare possit. Τῶν γὰρ γνωστέων, γνώμα ἔσαι καὶ τὰ λοιπὰ ὡς ἀπείμενα. Hinc E. sequuntur Definitionis verba, quæ talia:

ὁμώνυμα λέγεται, ἃν ὄνομα μόνον κοινόν, ὃ δὲ κατὰ τὸ νόμα λόγος τῆς οὐσίας ἕτερος. Id est: *Homonyma seu æquivoca dicuntur, quorum nomen tantum commune est, ratio verò substantiæ seu essentiæ diversa.*

B

21. HO.